

# EPISTULA LEONINA

## CCXXIII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E  
 ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS  
 LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI  
 ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE  
 NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX  
 INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM  
 ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS.  
 EPISTULAS LEONINAS I-CCXXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC  
 INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM  
 CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS  
 ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM  
 CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ.  
 MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI  
 POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM TERTIAM (223) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>02</b>
<b>DIES IRAE.....</b>	<b>.03-05</b>
<b>CHRONOGRAMMA P. HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS.....</b>	<b>06</b>
<b>GRYLLUS TRUMPANIUS.....</b>	<b>07</b>
<b>EPISTULA THEODERICI SACRÉ.....</b>	<b>08-09</b>
<b>EPISTULA AXELII PULCHRIMONTANI.....</b>	<b>10</b>
<b>NARRATIO CRIMINALIS FERDINANDI DE SCHIRACH: Violoncellum.....</b>	<b>11-26</b>
<b>COMMERCIMUM EPISTULARUM VACCINATORIUM.....</b>	<b>27</b>
<b>LAMBERTUM PIGINI ANIMAM EFFLASSE.....</b>	<b>28</b>
<b>ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>29-32</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*Leo Latinus tibi apposuit cibos Latinos varios; nam varietas delectat. Insunt carmen mediaevale celeberrimum, chronogramma pium, gryllus Trumpianus, epistulae doctissimae, narratio criminalis, quae habet magnam animi exspectationem.*

*Ergo tolle et gusta: laetaberis. Bene sapiat tibi!*

Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 17. m.Ian. a.2021**

# DIES IRAE



**Dies irae dies illa,  
Solvet saeclum in favilla:  
Teste David cum Sibylla.**

**Dies irae dies illa,  
Solvet saeclum in favilla:  
Teste David cum Sibylla.**

**Quantus tremor est futurus,  
Quando iudex est venturus,  
Cuncta stricte discussurus!**

**Tuba mirum spargens sonum  
Per sepulcra regionum  
Coget omnes ante thronum.**

**Mors stupebit et natura,  
Cum resurget creatura,  
Iudicanti responsura.**

**Liber scriptus proferetur,  
In quo totum continetur,  
Unde mundus iudicetur.**

**Iudex ergo cum sedebit,  
Quidquid latet apparebit:  
Nil inultum remanebit.**

**Quid sum miser tunc dicturus?  
Quem patronum rogaturus,  
Cum vix iustus sit securus?**

**Rex tremendae maiestatis,  
Qui salvandos salvas gratis:  
Salva me, fons pietatis.**

**Recordare Iesu pie,  
Quod sum causa tuae viae:  
Ne me perdas illa die.**

**Quaerens me, sedisti lassus:  
Redemisti crucem passus:  
Tantus labor non sit cassus.**

**Iuste iudex ultioris,  
Donum fac remissionis,  
Ante diem rationis.**

**Ingemisco, tamquam reus:  
Culpa rubet vultus meus:  
Supplicanti parce Deus.**

**Qui Mariam absolvisti,  
Et latronem exaudisti,  
Mihi quoque spem dedisti.**

**Preces meae non sunt dignae:  
Sed tu bonus fac benigne,  
Ne perenni cremer igne.**

**Inter oves locum praesta,  
Et ab haedis me sequestra,  
Statuens in parte dextra.**

**Confutatis maledictis,  
Flammis acribus addictis,  
Voca me cum benedictis.**

**Oro supplex et acclinis,  
Cor contritum quasi cinis:  
Gere curam mei finis.**

**Lacrimosa dies illa,  
Qua resurget ex favilla**

**Iudicandus homo reus:  
Huic ergo parce Deus.**

**Pie Iesu Domine,  
dona eis requiem. Amen.**

# CHRONOGRAMMA D.17. M.IAN.

## PATRIS HERBERTI DOUTEIL

## BRASILIENSIS



**Breviarium Grimani**

Zum 17. Januar, dem **Fest des heiligen Antonius des Mönchsvaters:**

2021\* AntonIVs abbas seCVtVs est a IVVentVte Verba ChrIstI: si VI<sup>s</sup>  
perfeCtVs esse, VenDe qVoD ha

bes et Da InopIbVs. VIXIt pIe In regIonIbVs VastIs et obIIt IbI satVratVs  
annIs CVI. – Der Abt Antonius befolgte von Jugend an die Worte Jesu:  
„Wenn du vollkommen sein willst, dann verkaufe, was du hast, und gib es den  
Armen“ (Mt 19,21). Er lebte fromm in Wüstenregionen und starb dort  
lebenssatt im Alter von 106 Jahren. – Antonius Abbas, (251/252 -357),  
Gründer des Mönchstum im Orient

## GRYLLUS TRUMPIANUS



Trump ist noch nicht im Amt - schon sorgt er für ein Jobwunder

ECCE GRYLLUS A GOTZ WIEDENROTH DELINEATUM.  
 QUI SPECTAT AD MANIFESTATORES MANDATIVI QUI SUB  
 PRAETEXTU POLITICO NON MANIFESTANT PERSUASIONIS,  
 SED PECUNIAE CAUSA.

supra: QUAERUNTUR MANIFESTATORES ANTI-TRUMPIANI !

DABITUR MERCES BONA !

infra: TRUMPIUS NONDUM MUNUS SUSCEPIT – TAMEN IAM  
 CURAT, UT NUMERUS OCCUPATORUM MIRUM IN MODUM  
 AUGEATUR.

# **EPISTULA THEODERICI SACRÉ PRAESIDIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

**Nicolaus Groß Theoderico Sacré Praesidi Academiae Latinitati Fovendae maxime honorabili sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Utinam tu tuique annum novum faustis ominibus incohaveritis!  
Accepistine Epistulam meam Leoninam 222? Inest Epistula quam to Academicis scripseras. Scilicet velim lectoribus praebere exempla Latinitatis probatissimae.

His mensibus tracto Orbem Pictum meum Hexaglottum; suppleo et exaugeo eas partes, quas scripsi secundum editionem Lexici originalis prioris eo quod adhibeo editionem recentiorem ("Visual Dictionary" Montreal/Canada editio prior: a.2003, recentior editio facta est a.2011, titulus theodiscus: "Das Große Bildwörterbuch (PONS GmbH, Stuttgart 2014). Talis suppletio adhuc facienda est usque ad capitulum, c.t. COMMUNICATIO, i.e. in editione recentiore usque ad p.655. Reliquas paginas (tibi iam missas: p.657-1071, i.e. a vehiculis usque ad disportum et ludicra) iam scripsi secundum editionem recentiorem. Nequaquam te urgeo, sed velim scribas mihi, queso, quomodo te habeas et num omnes epistulas collectaneaque vocabulorum mea acceperis. Tu vale pancratice. In novo quoque anno Academia Latinitati Fovendae sub aegide tua adversus offendentes coronarias utinam vivat crescat floreat. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**Theodericus Sacré Nicolao Gross**, viro Latinissimo eidemque Academiae sodali maxime industrio, s.d.p. Ante omnia animitus exopto tibi annum candido lapillo cottidie signandum: istud 'cottidie' supra modum esse exaggeratum scio, cum pestis adhuc toto saeviat orbe; at utinam quamplurimi dies feliciter tibi decurrant: hoc tibi, servato modo, exoptare posse mihi videor. Et, si ego te novi, felicitas ea non minima ex parte pendebit e lexico, cui confiendo diu noctuque insudas! Quo de opere liceat mihi iterum dicere quod publice quoque, nisi fallor, scripsi: labores istos infatigabiliter abs te exanclatos summa laude esse dignos; gratissimum te nobis facere

quod rebus hodiernis fere singulis universis Latina imponas nomina, sive e fontibus typis excusis hauseris, sive ipse ratione et via usus aliunde sumpseris. Hoc etiam sodalium nomine pollicitus sum iterumque policeor, cum rem totam ad umbilicum paene adduxeris, fore tum ut ex Academiae sodalibus quibusdam collegium constituatur eorum qui lexicon illud ingens a te comparatum recognoscere conentur, operam inter se, quantum fieri possit, dividant, probent probanda, interrogent te siquid forte vel parum liquidum vel minus felix offendisse se senserint; post eas curas novissimas utinam opus istud ab Academia Latina comprobatum exire in lucem publicam possit! Tuum ergo erit nos monere, ubi non longe ab operis fine abesse te iudicaveris. Non erit facile, ut mihi quidem videtur, iudices rei peritissimos reperire, at pro virili enitemur ut vocabularia ista a compluribus sodalibus rei lexicographicae amantibus perlegantur attentisque percenseantur oculis. Particulam ipse quoque recognoscere conabor, etsi me id aliquatenus remoratur, quod in verborum versionibus considerandis, cum patrius sermo meus iustis de causis desideretur, rerum intellectus e peregrinis sermonibus sit petendus: quorum notiones subtiliores haud semper assequar. Sed postea viderimus quid fieri possit. Interea noli silentium meum admirari: partes lexici, quas ad me mittere soles, et epistolae Leoninae, statis intervallis abs te emissae, mihi rite afferuntur.

Vale optime! Quod paene oblitus sum: grata mihi nova ista editio epistolii, qualecumque erat, ad sodales circummissi. Iterum vale!

Van: SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)>

Verzonden: zondag 10 januari 2021 16:41

Aan: Prof. Dr. Dirk Sacré

Onderwerp: Coquina Orbis Pictus Hexaglottus

# EPISTULA AXELII PULCHRIMONTANI

## **Axelius Pulchrimontanus sodalibus Academiae Latinitati Fovendae salutem plurimam dicit! SVBEV.**

Cum orationes colloquiaque ultimae sessionis nostrae interretialis audirem, pronuntiatum restitutum adhuc ab omnibus adhiberi paululum miratus sum. Qui pronuntiatus, saeculo XIX in Prussia inventus et post bellum mundanum alterum a philologis Latinis decretus, mihi, quod ad diphthongos attinet, non solum non antiquus, sed omnino falsus esse videtur. Fontes antiquos omnes inspexi; praeter Ennium, qui talibus in rebus non est auctoritas, et paucos versus aliorum poetarum, qui eum imitabantur, nihil repperi, quod pronuntiatum modernum diphthongorum <ae> /<ai> et <oe>/<oi> confirmaret. Paucis liceat rem exponam: Etrusci et Romani alphabetum antiquum Boeoticum, non Atticum sequentes sonos [y] et [□] plerumque tripliciter scribebant: <oi>, <oe>, <u>, ut puta Poenus/pūnicus, moenia/mūnīre, QVOIRa/cura, sonos [ɛ:] et [ɛ] plerumque <ae> (antiquius <ai>) scribebant: Κύμη → Cūmae, σκηνή → scaena. (Iam apud Homerum et Hesiodum diphthongi <ai> et <oi> non semper pro [ɛ:] sive [y] stabant, sed in syllabis finalibus apertis corripiebantur et [ɛ] sive [Y] pronuntiabantur; diphthongum ‘verum’ corripi nullatenus posse certe constat.) Mutationes phoneticae historiae linguae Latinae non recte intelleguntur, nisi pronuntiatus monophthongicus talis adhibetur: exempli gratia familiās → familiāh → familiā → familiɛ: (=<familiai>/<familiae>). Ex syllaba -ās finali autem diphthongus realis ae/ai posterior derivari non poterat!

Non sunt, repeto, fontes antiqui, qui pronuntiatum diphthongicum modernum pro scripturis <ae> et <oe> demonstrent, neque exstant testimonia linguarum recentiorum seu mediaevalium seu hodiernorum, quae in vocabulis vel nominibus propriis Latinis assumptis talem pronuntiatum diphthongicum conservent. Certe multi grammatici moderni errores saeculi XIX repetunt, sed ipsi fontes antiquos non aut haud accurate aspexisse videntur scripta aliorum philologorum copiantes.

Si quis vestrum argumentum solidum pro pronuntiatu revera diphthongico litterarum <ae> et <oe> habere putet, mihi hoc quaeso renuntiet. Argumenta mea (Theodisce scripta) contra pronuntiatum restitutum ‘diphthongicum’ hisce adiungo litteris.

Haec hactenus in praesenti!

In annum novum vobis singulis universis optima quaeque exopto!

**Curate, ut valeatis! Axelius Pulchrimontanus (Bremensis  
et Francofurtanus)**

# VIOLONCELLUM

*Narratio criminalis a Ferdinandō de Schirach scripta,  
quam in Latinum convertit LEO LATINUS.*



**Domini Tackleri** vestis fumatoria<sup>1</sup> erat coloris lucidē caerulei, eius camisia coloris rosei. Eius viri submentum<sup>2</sup> tingescebat super collare camisiae et focale papilionaceum<sup>3</sup>, iacca circa ventrem distensa supra pectus plicabatur. Tackler stabat inter filiam suam Theresam et uxorem quartam, ab utrāque corporis longitudine superabatur. Coxendix filiae complexu tenebatur digitis eius viri. Qui digitī ibi iacebant tamquam bestia obscura.

Tackler ad hanc hominum receptionem praeparandam erogaverat multum pecuniae. Sed idem putavit se lucrum fecisse, nam venerant omnes homines maioris momenti: praeses ministerialis, argentarii, homines et potentes et formosi, praecipue autem criticus ille artis musicae. Noluit nunc cogitare de aliis rebus. Haec sollemnitas spectavit ad Theresam.

Theresa illo tempore aetatis fuit viginti annorum, iuvanca formositatis classicae, cuius facies fuit symmetriae paene perfectae. Videbatur esse animo aequo atque tranquillo, nec pulsus cordis acceleratus apparebat nisi venâ tenui.

---

<sup>1</sup> **vestis \*fūmātōriā** orig. *Smoking*. cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.508 s.v.

<sup>2</sup> **submentum**, -ī n. orig. *Doppelkinn*. cfr Georges, Handwörterbuch, tom.II, col.2863, s.v.: „ἀνθερών, das Unterkinn, Gloss.II,190,49 u.ö.“

<sup>3</sup> **fōcāle \*papiliōnāceum** theod. *Querbinder, Fliege*.

Post brevem orationem patris haec puella consedit in scaenâ panno purpureo vestitâ et violoncellum<sup>4</sup> accordavit<sup>5</sup>. Eius frater Leonhardus in scabillo sedebat iuxta eam paginas notarum versurus. Frater autem et soror inter se omnino differebant. Leonhardus enim capite minor fuit quam Theresa, staturam et faciem a patre heredio accepit, sed non illius animum durum. Ex fratri facie sudor defluebat in camisiam, ut margo collaris obscuraretur. Leonhardus spectatoribus arridebat mite ac molliter.

Hospites sedebant in sellis exiguis, paulatim obmutescebant, lumen est mitigatum. Me adhuc incerto, num ex horto reversurus essem in oecum, illa coepit psallere violoncello. Puella cecinit tres violoncelli sequelas<sup>6</sup> priores Bachianas, et iam paucis tactibus auditis animadverti me Theresam numquam oblitorum esse. Illo aestivo vespere calido in magno oeco villae aetate fundatoriâ<sup>7</sup> aedificatae, cuius altae ianuae fenestellatae<sup>8</sup> latê apertae erant in viridarium illuminatum, expertus sum unum illorum momentorum temporis rarorum felicitatis absolutae, quae fieri non possunt nisi effectu artis musicae.

....

Tackler autem fuit negotiator rei structoriae alterius generationis. Is eiusque pater erant viri duri et sagaces petita sua impetrantes, qui Francofurti aedificiis struendis et vendendis divites facti erant. Pater Tackleri per totam vitam suam sacculo bracarum dextro gesserat revolucrum<sup>9</sup>, sinistro fascem pecuniae. Tackler autem ipse revolucro non iam eguit.

Tribus annis postquam Leonhardus natus est, eius mater inspexit domum altam recenter marito iubente exstructam. In tabulato duodecimmo structurae adhuc imperfectae celebratum est festum erectionis<sup>10</sup>. At aliquis oblîtus erat crepidinem tutamento instruere.

<sup>4</sup> \***violoncellum**, -ī n. orig. *Cello*. cfr Angelo Perugini, Dizionario Italiano-Latino. Libreria editrice Vaticana, 1976.

<sup>5</sup> +**accordō**, -āre orig. *stimmen*.

<sup>6</sup> **sequēla**, -ae f. orig. *Suiten*.

<sup>7</sup> **aetâs** \***fundatōria** orig. *Gründerzeit*.

<sup>8</sup> **ianua** \***fenestellāta** orig. *Sprossentür*.

<sup>9</sup> \***revolūcrum**, -ī n. orig. *Revolver*.

<sup>10</sup> **fēstum ērēctiōnis** orig. *Richtfest*. cfr Eichenseer, Vox Latina 9, 1967, p.431.

Ultimas reliquias uxoris, quas Tackler vidit, fuerunt illius pera manualis et hyalus vini spumosi, quos iuxta se deposuerat in mensulâ stativâ<sup>11</sup>.

Annis sequentibus liberos praetergressa est longa series mulierum, quae ,matres' dictae sunt. At nulla illarum diutius mansit tribus annis. Tacklero fuit domus opulenta, adfuerunt autoraedarius<sup>12</sup>, coqua, aliquot purgatrices et duo hortulani viridarium colentes. Ipse cum non vacaret liberis educandis, unica illorum educatrix constans facta est vetula nosocoma<sup>13</sup>. Quae iam Tacklerum educaverat, olebat lavandulam, ab omnibus vocabatur *Etta*. Quae maximê studebat colere anates. Itaque haec muliercula in habitaculo suo duorum conclaveum subtegulano<sup>14</sup>, quod Tackleri domo erat insitum, e parietibus suspenderat quinque anates effertas, et ipsi taeniae fusci petasi coactilis<sup>15</sup>, sine quo numquam domo exibat, infixae erant dueae pennae anatis maris caeruleae. At parvulos Etta non valdê diligebat.



Etta semper manserat, iam pridem familiae erat particeps. Tacklero pueritia videbatur esse temporis iactura, vix recordatus est pueritiam sui ipsius. Itaque Tackler Ettae confidebat, quia ea secum de principiis educandi consentiebat. Voluit autem liberos adolescere optimâ disciplinâ institutos et, ut aiebat Tackler, »sine ullo fastu«. Interdum duritiam esse necessariam.

Theresa et Leonhard pecuniolam debebant ipsi sibi mereri labore proprio. Aestate iidem parvuli in horto pungentes ex humo trahebant herbas taraxaci<sup>16</sup> et pro omni herbâ accipiebant peningum<sup>17</sup>

<sup>11</sup> mēnsula stativa orig. *Stehtisch*.

<sup>12</sup> \*autoraedārius, -ī m. orig. *Chauffeur*.

<sup>13</sup> \*nosocoma, -ae f. orig. *Krankenschwester*. cfr Codex Iustinianus 1,3,42 nosocomus.

<sup>14</sup> habitaculum duōrum conclaveum subtegulānum orig. *Zweizimmer-Dachwohnung*.

<sup>15</sup> petasus coātilis orig. *Filzhut*.

<sup>16</sup> \*taraxacum, -ī n. orig. *Löwenzahn*.

dimidium - »sed nonnisi cum radice, alioquin nihil accipietis«, Etta dicebat. Quae singulas plantas tam accuratē numerabat quam nummulos. Hieme autem parvuli debebant nivem vatillis amovere. Tum Etta pecuniolam<sup>18</sup> eis dabat secundum metra nivis amotae.

Leonhardus novem annos natus e domo aufūgit. Qui in viridarii abietem aliquam nixus exspectavit se a patre et Ettā quaesitum iri. Puer animo finxit primo Ettam, deinde patrem suum esse desperaturum et questurum esse de fugâ suâ. At nemo desperavit. Ante cenam Etta vocavit, nisi Leonhardus nunc tandem venisset, eum nihil accepturum esse comedendum, sed catomidiatum<sup>19</sup> iri. Tum Leonhardus destitit ab incepto suo, eius vestimenta cum essent resinâ óblita, alapam accepit.

Natali Domini Tackler liberis donabat saponem et thoraces laneos. Semel tantum aliqui consors negotialis, qui illo anno commercii cum Tacklero facto multum pecuniae lucratus erat, Leonhardo misit sclopetum puerile<sup>20</sup> et Theresae coquinam pupariam<sup>21</sup>. At Etta ista crepundia in hypogaeum abstulit. Necnon: »Talibus«, inquit, »liberi non egent« et Tackler, qui non audiverat, quid illa dixisset, assensus est.

Theresa et Leonhardus cum scirent, quomodo se haberent cenantes, quomodoque loquerentur non dialecto, sed sermone decoro, et ceterum tacerent, Etta putavit educationem illorum esse nunc perfectam. At eadem mulier patri dixit vitam illorum non bene evasuram, quia essent nimis molles, illos non esse genuinos Tacklerianos, qualis essent Tackler eiusque pater. Haec sententia patri memoriae inhaesit.

Postea Etta incidit in morbum Alzheimerianum lentēque animo et corpore retardato aniliter mitescebat. Eadem muliercula aves suas

<sup>17</sup> \*peningus, -ī m. orig. *Pfennig*.

<sup>18</sup> \*pecuniola, -ae f. orig. *Taschengeld*. cfr Joachim Heinrich Campe, Robinsonius minor. Pars Prior, Helmstadii 1823, p.191: „Data mihi aliquando pecuniolae copia, quidquam tibi emere statui...“ (nota:) **Pecuniola Taschengeld.**”

<sup>19</sup> catōmidiō, -āre orig. *den Hintern voll (bekommen)*. cfr Georges, Handwörterbuch, tom.I, col.1035, s.v.:

„...(*κατωμίζω*), jmdm. den Hintern verhauen, Petr.132,2; Spart. Hadr.18,9.“

<sup>20</sup> \*sclopētum puerile orig. *Kindergewehr*.

<sup>21</sup> coquīna pūpāria orig. *Puppenküche*.

effertas hereditate donavit museo alicui patriae, cuius praepositi easdem sibi inutiles curaverunt abiciendas. In funere Ettae nemo adfuit nisi Tackler eiusque liberi. Cum redirent, idem dixit: »Bene, nunc etiam hanc rem perfecimus.«

Leonhardus in feriis laborabat in negotiatione patris. Malebat quidem cum amicis iter facere, sed pecuniâ carebat. Hoc quidem volebat Tackler. Qui filium ad locum structionis<sup>22</sup> adductum tradidit operario duci dicens ut ille filium »probê exerceret«. Cum operarius dux Leonhardum tam vehementer exercuisset, quantum potuit, ut is postridie vomeret viribus exhaustis, Tackler dixit fore, ut filius ad tales labores assuefieret. Se ipsum, cum fuisse aetate Leonhardi, interdum unâ cum patre in locis structoriis dormivisse et »cossim cacasse«<sup>23</sup>, sicut ceteros ferri textores. Leonhardus ne mente sibi fingeret se esse »hominem ceteris meliorem«.

Etiam Theresae in feriis opellae erant facienda; quae operata est in grapheo negotiationis paternae ratiocinatorio<sup>24</sup>. Ea quoque, ut Leonhardus, tricenas tantum centesimas partes accipiebat mediae mercedis. Nam Tackler: »Vos« inquit, »nobis non estis auxilio, sed facitis molestiam. Itaque vestra merces est donum, non salarium.«, Cum Theresa et Leonhardus volebant cinematum<sup>25</sup> inire, Tackler iis dabat decem eurones<sup>26</sup>, et quia necesse erat laophoro<sup>27</sup> vehi, tantulum pecuniae non sufficiebat nisi ad una tesseram emendam. Sed iidem non audebant ei hoc dicere. Interdum autoraedarius Tackleri clam eos in urbem secum ducebat iisque dabat aliquantulum pecuniae – nam is ipse habuit liberos et morum praeceptoris erat peritus.

Praeter sororem Tackleri, quae in negotiatione eius munus gessit et iam omne secretum puerile fratri prodiderat, nulli adfuerunt cognati. Patrem filia filiusque primo timuerant, deinde oderant, denique

<sup>22</sup> locus strūctionis orig. *Baustelle*. cfr Vox Latina 1983, p.159.

<sup>23</sup> sē ipsum...cossim cacasse orig. *er selbst habe...aus dem Knick geschissen*. cfr Georges, Handwörterbuch, tom.I, col.1725, s.v. cossim: „cossim u. coxim, Adv. (coxa), auf die Hüfte gestützt, zusammenkauernd, qui cossim cacant, Pompon.com.129: coxim insidens, Apul., met.3,1 ...“

<sup>24</sup> \*graphēum ratiocinātōrium orig. *Buchhaltung*.

<sup>25</sup> \*cīnēmatēum, -ī n. orig. *Kino*.

<sup>26</sup> \*eurō, -ōnis m. orig. *Euro*.

<sup>27</sup> \*lāophorūm, -ī n. (*Omni*)bus.

liberis mundus patris tam alienus factus erat, ut nihil iam haberent, quid ei dicerent.

Tackler Leonhardum non contempsit, sed respuit eius mollitiam. Putavit illum faciendum esse duriorem, ut aiebat, illum a se durandum esse tamquam ferrum a fabro. Cum Leonhardus haberet annos quindecim, in conclavi suo suspendit imaginem ballationis in scaenâ actae, quam unâ cum classe discipulorum viserat. Quâ imagine de pariete raptâ Tackler filium inclamavit, ut attenderet, ne fieret cinaedus<sup>28</sup>. Leonhardum, cum esset nimis pinguis, numquam habiturum esse amicam.

Theresa quodcumque tempus a laboribus vacuum degebat apud magistrum musices violoncello psallens. Tackler eam cum non intellegeret relinquebat quietam. Semel tantum res aliter se habuit. Aestivo tempore, brevi post Theresae diem natalem sextum decimum. Dies erat sudus. Illa in natabulo natabat nuda. Cum autem aquam relinqueret, Tackler stabat in natabuli margine. Qui biberat alcohol<sup>29</sup>. Tackler autem filiam aspectavit tamquam puellam alienam. Qui manutergio sumpto coepit illam abstergere. Qui mammas tangens oluit vischium<sup>30</sup>. Tum Theresa in domum cucurrit. Postea numquam iniit natabulum.

Cum cenarent communiter, quod raro factum est, colloquebantur de rebus Tacklero gratissimis, id est de horologiis, cibis, autocinetis. Theresa et Leonhardus pretium noverant omnis autocineti omnisque horologii signati<sup>31</sup>. Ludebant ludum abstractum. Interdum pater illis monstrabat argentariae extractum<sup>32</sup>, sortes societatum, relationes negotiationis. Tackler: »Haec omnia« inquit »aliquando possidebitur a vobis«, et Theresa Leonhardo insusurrabat patrem haec verba citare secundum quoddam cinema. Tackler: »Animae interiora<sup>33</sup>, inquit, »sunt deliramenta.« Talia esse omnino inutilia.

<sup>28</sup> **cīnaedus**, -ī m. theod. *Schwuler*.

<sup>29</sup> +**alcohol**, -ōlis n./m. orig. *Alkohol*.

<sup>30</sup> \***vischium**, -ī n. orig. *Whiskey*. cfr Eichenseer, Latinitas Viva, Pars Lexicalis, Saarbrücken 1981, p.33.

<sup>31</sup> **hōrologium sīgnātūm** orig. Markenuhr. cfr Vox Latina 1979, p.55: „Markenware merx signata“.

<sup>32</sup> **extractus** (-ūs m.) **argentāiae** orig. *Bankauszug*. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.322, s.v. *Kontoauszug*.

<sup>33</sup> **interiōra animae** orig. *das Innere*.

Puer et puella nullum habuerunt adiutorem – nisi unus alteram. Theresa cum comprobata esset discipula conservatorii musici, ambo decreverunt, ut Tacklerum unā relinquerent. Quod voluerunt ei dicere cenantes et exercuerant colloquium cum patre habendum, deliberaverant, quoniam modo ille responsurus esset, et responsa sua praeparaverant. Cum inciperent loqui, Tackler dixit se hodie non vacare, et evasit. Theresae atque Leonhardo exspectandum fuit per tres septimanas, deinde Theresa patrem allocuta est. Soror atque frater putaverunt Tacklerum saltim eam non esse mulcaturum. Theresa dixit se ambos nunc relicturos esse Aquas Homburgenses<sup>34</sup>. Putaverunt enim »relinquere Aquas Homburgenses« melius sonare quam »te relinquere«. Necnon Theresa addidit se Leonhardum secum abducturam esse, se quoquomodo victum sibi comparare posse.

Tackler eam non intelligens comedere perrexit. Cum idem Theresam rogaret, ut sibi daret panem, Leonhardus eum inclamavit: »Tu quidem nos sat diu vexasti«, et Theresa aliquanto submissius dixit: »Nos numquam fieri volumus similes tibi.« Clangor auditus est. Deinde Tackler nullo verbo edito surrexit et ad autocinetum<sup>35</sup> iit et ad amicam vectus est. Versus tertiam demum horam nocturnam revertit.

Postea nocte Tackler solus sedebat in bibliothecâ. In visificio<sup>36</sup>, qui pluteo librorum erat impositum, cinema ab eo ipso confectum monstrabatur soni expers. Quod erat a camerâ superoctonariâ<sup>37</sup> translatum ad cinema magnetoscopicum<sup>38</sup>. Imagines autem luci erant superexpositae<sup>39</sup>.

Uxor eius prima liberos tenet manibus complexis, Theresa nescio an sit aetate trium, Leonhardus duorum annorum. Uxor dicit aliquid, eius ôs movetur nullo sono edito, Theresam e manu emittit, digito indicat in longinquum. Camera cinematica sequitur eius bracchium, in recessu parum distincto apparent parietinae alicuius castri

<sup>34</sup> **Aqua**e Homburgênses orig. *Bad Homburg*.

<sup>35</sup> \*autocinētum, -i n. orig. *Auto*.

<sup>36</sup> \*vīsificium, -ī n. orig. *Bildschirm*.

<sup>37</sup> **camera** \*superoctōnāria orig. *Super 8-Kamera*.

<sup>38</sup> **cīnēma magnētoscopicum** orig. *Videofilm*.

<sup>39</sup> **lūcī supere**xpositus orig. *überbelichtet*.

mediaevalis. Camera ad Leonhardum removetur, qui se abdit post crus matris et flet. Lapides et caespes in propinquo apparent camerâ vacillante, camera traditur, cum pergit operari. Camera iterum tollitur, Tackler ambulat bracis genuensibus<sup>40</sup> indutus, camisiâ apertâ, capillis pectoralibus, vultu dilato ridet sine sono, Theresam tenet versus solem, eam osculatur, versus cameram manum movet salutans. Tum cinema lucescit et abruptê finitur.

Hac nocte Tackler decrevit, ut in honorem Theresae curaret concentum musicum valedictorium celebrandum, sibi sat multas esse necessitudines graviores, quibus sibi contingret, ut filiae compararet gloriam excellentissimam. Tackler enim noluit esse homo malus. Et filio filiaeque assignationem<sup>41</sup> scripsit ducentorum quinquaginta milium euronum easque imposuit mensae, ad quam erant ientaturi. Tacklero visa est tanta pecunia sufficere.

.....

Die post concentum musicum in ephemeridis superregionalis<sup>42</sup> symbolâ cum laude paene euphoricâ criticus ille magnus affirmavit Theresam violoncello psallentem facturam esse cursum honorum »excellentissimum«.

Eadem nomen non dedit conservatorio frequentando. Theresa enim putavit ingenium suum esse tantum, ut posset adhuc exspectare. Nunc agi de re aliâ. Soror atque frater per triennium ferê vecti sunt per Europam et Civitates Unitas. Theresa violoncello cecinit in nonnullis privatis concentibus musicis, praeterea non nisi fratris sui causâ. Pecuniâ Tackleri saltim aliquamdiu factum est, ambo ne cui essent obnoxii. Soror et frater manserunt inseparabiles. Nam amationes suas non nimis magni pendebant neque his annis vix fuit dies, quem unâ degeret sine altero. Qui homines videbantur esse liberi.

.....

---

<sup>40</sup> brācae genuēnsēs orig. Jeans. Cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.292, s.v. Jeans.

<sup>41</sup> assīgnātiō, -ōnis f. orig. Scheck.

<sup>42</sup> ephemeris \*superregiōnālis orig. iiberregionale Zeitung.

Duobus ferē annis post concentum musicum Aquis Homburgensibus factum ambos iterum convēni in quodam festo, quod factum est prope Florentiam. Celebratum est in Castello Tornani, quae sunt parietinae castri saeculo undecimo aedificati, mediis in vinetis sitae, oleis et cypressis circumdatae. Convivator Theresam Leonhardumque, qui advecti erant autocinetō eleganti annis sexagenariis fabricato, appellabat »τὴν νεότην χρυσέην«<sup>43</sup>. Quem Theresa osculata est, et Leonhardus cum elegantiā exaggeratā salutans allevavit petasum suum Borsalinianum<sup>44</sup> stramento confectum.

Cum postea vespere Theresae dixisset me illas sequelas violoncelli numquam postea audivisse tantā cum intensitate psallendo editas quantā in domo eius paternā, iuvēna respondit: »Maximē valet praeludium sequelae primae. Non sequela sexta, quam omnes putant esse gravissimam et quae est difficillima. At maximē non valet sexta, sed prima.« Quae haustum sumpsit et caput proclinans mihi insusurravit: »Intellegisne? Agitur de praeludio sequelae primae. Quae est tota vita spatio trium minutarum exhibita.« Deinde Theresa risit.

Aestate proximā exeunte soror fraterque fuerunt in Siciliā. Iidem per nonnullos dies habitaverunt apud mercatorem materiarum crudarum<sup>45</sup>, qui ibidem domum conduxerat aestate inhabitandam. Qui aliquatenus inciderat in amorem Theresae.

Leonhardus e somno excitatus est febriculā laborans.

Iuvenis cogitavit eandem effectam esse alcohole proximā nocte sumpto. Noluit nunc aegrotare, ipso hōc die splendido, non ipso hōc tempore felici. Bacteria autem E. cōlī<sup>46</sup> in corpore celeriter augescebant. Quae infuerant illi aquae, quam duabus horis ante biberat in statione aliquā benzinariā<sup>47</sup>.

<sup>43</sup> »τὴν νεότην χρυσέην« orig. „Jeunesse dorée“, i.e. verbatim ‘iuventutem auream’ et valet iuvenes divites et delicatos.

<sup>44</sup> **petasus Borsaliniānus strāmentō cōflectus** orig. *Borsalino-Strohhut*.

<sup>45</sup> **mercātor māteriārum crūdārum** orig. *Rohstoffhändler*.

<sup>46</sup> **bactērium E.(scherichia) cōlī** orig. *Bakterium E. coli*.

<sup>47</sup> **statiō benzīnāria** orig. *Tankstelle*.

Vetustâ autobirotâ vespaceâ<sup>48</sup> in stabulo autocinetico<sup>49</sup> inventâ versus mare vecti sunt. At mediâ in viâ bituminatâ iacebat mâlum, quod ceciderat e curru messuario<sup>50</sup>. Hic fructus paene rotundus nitebat sole meridiano irradiatus. Cum Theresa aliquid diceret, Leonhardus caput convertit, ut illam melius intellegerer. Tum rota anterior per bitumen prolapsa posita est transversa. Ita factum est, ut Leonhardus a gubernando prohiberetur. Theresa minus graviter afflita est, eius umerus tantummodo est luxatus, nonnulla vulnera accepit abrasiva<sup>51</sup>. At Leonhardi caput cum rotae posteriori lapidique interprimeretur, effractum est.

Primâ nocte in nosocomio status Leonhardi factus est peior. Nemo eius sanguinem perquisivit, quia aliae res erant agendae. Theresa cum patre telephonavit<sup>52</sup> et Tackler Francofurto auloplano<sup>53</sup> negotiationis suae misit medicum; qui advénit nimis sêro. Nam in Leonhardi corpore venena iam ex renibus pervenerant in viam sanguineam. Theresa autem in androne sedebat ante oecum chirurgicum sito. Medicus cum iuvencâ colloquens eius manum tenuit. Temperaculum âeris<sup>54</sup> strepebat, quadrum vitreum, quod Theresa ex horis aspectabat oculis torpidis, pulvere obtectum erat parum pellucidum. Medicus autem dixit urosepsin<sup>55</sup> fieri cum organorum defectu multiplici. Sed Theresa illum non intellexit. In Leonhardi corpore esse urinam, ei probabilitatem supervivendi esse vicinarum partium centesimarum. Medicus loqui non desiit, eius verbis facta est distantia animorum. Theresa per quadraginta ferê horas non dormiverat.

Medico in oecum revertente Theresa oculos conclusit. Ille locutus erat de »obitu«, et Theresa hoc verbum mente finxit litteris nigris scriptum. Haec nullo modo spectare ad fratrem suum. Itaque Theresa dixerat »Non«. Nihil nisi »Non«. Nihil aliud.

<sup>48</sup> \*autobirota \*vespâcea orig. *Vespa*.

<sup>49</sup> stabulum autocinēticum orig. *Garage*. cfr Eichenseer, Latinitas Viva, Pars Lexicalis, Saarbrücken, 2.ed., 1982. p.46.

<sup>50</sup> currus messuārius orig. *Erntewagen*.

<sup>51</sup> vulnus \*abrâsivum orig. *Schürfwunde*.

<sup>52</sup> \*tēlephōnō, -āre orig. *telefonieren*. cfr Societas Latina 1933.

<sup>53</sup> \*auloplanum, -ī n. orig. *Jet, Düsenflugzeug*.

<sup>54</sup> temperâculum âeris orig. *Klimaanlage*. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.313, s.v. *Klimaanlage*.

<sup>55</sup> \*ūrosepsis, -is f. orig. *Urosepsis*.

Sexto die postquam Leonhardus nosocomio est illatus, eius status tam stabilis factus est, ut posset aeroplano transportari Berolinum. Cum in Nosocomium Caritatis Berolinense inferretur, eius corpus obductum erat necrosibus, id est tegimentis nigris et coriaceis, quibus indicata est cellularum decrescentia. Medici in Leonhardo fecerunt sectiones chirurgicas quattuordecim, quibus ablati sunt sinistram manū pollex et digitus index anularisque. Digitus pedis sinistri in artu basali ablati sunt, item pes anterior dexter et partes dextri pedis posterioris. Nihil restitit nisi glaeba deformis, quae vix erat onerabilis, quia cutis apparuit ossibus atque cartilagine premebatur. Leonhardus autem sopitus erat comate<sup>56</sup> artificiali. Qui supervixerat, sed effectū laesionis capitalis nondum potuerunt aestimari.

Hippocampus est Neptuni iumentum, monstrum Graecorum marinum, unā ex parte equus, alterā vermis. Secundum hoc monstrum denominata est cerebri pars pervetusta in lobis temporalibus<sup>57</sup> sita. Res quae memoriae insunt in hac parte memoriae transferuntur ex memoriā temporis brevis in memoriam temporis longi. Leonhardi autem hippocampi erant violati. Cum post novem septimanas e comate esset excitatus, e Theresā quaesivit, quisnam esset ipse. Nam Leonhardus memoriā temporis longi omnino amissā nihil memoriter tenere potuit nisi per tria aut quattuor minuta. Postquam innumerā probas<sup>58</sup> fecerunt, medici conati sunt ei explicare hunc morbum esse amnesiam et anterogradam et retrogradam. Leonhardus illorum explicationes intellexit, sed post tres minutās et quadraginta secundas easdem iam oblītus est. Leonhardus etiam oblītus est suam obliviousitatem.

Dum Theresa eum curabat, is neminem videbat nisi aliquam mulierem formosam.

.....

---

<sup>56</sup> \*cōma, -atis n. orig. *Koma*. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.317, s.v.: „((P)J.TAPP: De comate et caro. Diss.med.path. Helmstedt 1668)”. – cfr LIDDELL-SCOTT. Greek-English Lexicon, p.1017: “κῶμα, ἀτος, τό...deep sleep....2. Medic., lethargic state, coma...”

<sup>57</sup> **lobus temporālis** orig. *Schläfenlappen*.

<sup>58</sup> **proba**, -ae f. orig. *Test*.

Post duos menses soror et frater potuerunt sedem suam transferre in habitaculum patris Berolinense. Omni die nosocoma veniebat tres horas Leonhardus curatura, ceterum Theresa curabat omnia. In initio eadem adhuc invitaverat amicos ad cenam sumendam, sed postea non iam sustinuit vultūs, quibus illi aspicerent Leonhardum. A Tacklero visitabantur semel in mense.

Nunc Theresa degebat menses solitudinis. Paulatim corpus eiusdem iuvencae contabescet, capilli fiebant aridi, cutis lurida. Aliquo vespere Theresa violoncellum e vidulo sumpsit per menses intactum. In conclavis crepusculo opaco coepit psallere. Leonhardus autem lecto superpositus erat somnolentus. Aliquando lodice repulsâ idem coepit masturbari. Tum Theresa desiit psallere et ad fenestram se avertit. Frater autem eam rogavit, ut ad se veniret. Theresa eum aspexit. Qui surrexit et postulavit, ut eam basiaret, sed ea capite abnuit. Leonhardus autem relapsus dixit, ut ea saltim aperiret pelusiam suam. Truncus pedis dextri cicaticosus in panno lecti linteo iacebat tamquam frustum carnis. Theresa ad fratrem iit eiusque genam palpavit. Deinde se exuit, sellae insedit, violoncello psallit oculis clausis. Soror exspectavit, dum frater obdormiceret, surrexit, manutergio a ventre fratris abstersit, eum lodice obtexit, eius frontem osculata est.

Deinde in balneum iit et evomuit.

Quamquam medici affirmaverant fieri non posse, ut Leonhardus memoriam suam recuperaret, eius animus visus est violoncello quodammodo commoveri. Theresa psallens sibi videbatur sentire quandam exiguum coniunctionem vix perceptibilem vitae suaे praesentis et praeteritae, pallidam quandam imaginem illius animorum concordiae tenerrimae, quam tantopere desiderabat. Interdum Leonhardus violoncellum etiam postridie recordabatur. De eodem loquebatur, et quamvis cohaerentiam rerum non intelligeret, aliquid videbatur memoriae fratris inhaerens remanere. Theresa nunc omni vespere psallebat Leonhardi causâ, qui ferē semper masturbabatur, et ferē semper Theresa postea in conclavi balneari collapsa lacrimabat.

Sex mensibus post ultimam sectionem chirurgicam cicatrices Leonhardi cooperunt dolere. Medici dixerunt necessarias esse novas

amputations. Tomographiâ computatrali<sup>59</sup> factâ iidem declaraverunt eum mox etiam sermone privatum iri. Theresa scivit se istud perferre non posse.

.....

Dies 26. m.Nov. fuit dies autumni griseus<sup>60</sup> et frigidus, maturê iam tenebrae erant factae. Theresa mensae candelas imposuerat et Leonhardum sellae subrotatae insidentem ad sedem suam promovit. Iusculi piscarii additamenta in pantopolio occidentali emerat; quod iuscum Leonhardus prius libenter comederat. In iusculo, in pisis, in asso capreolino, in spumâ socolatâ<sup>61</sup> necnon ipso in vino infuit luminale, medicamentum barbituratum, quod Theresa propter dolores Leonhardi sine difficultate acceperat. Cuius medicamenti dedit fratri parvas copias, ne evomeret. Theresa autem ipsa nihil comedens exspectabat.

Leonhardus fiebat somniculosus. Eodem in balneum immoto soror magnum pyelum<sup>62</sup> aquâ complevit. Fratrem exuit, qui ipse paene infirmior erat, quam ut manubriis novis se allevaret, ut pyelum illaberetur. Deinde ipsa se exuit et ad eum inscendit in aquam calidam. Qui sedebat ante eam, capite mammis acclinato, respirabat tranquillê et aequaliter. Aetate puerili saepe hôc modo in pyelo unâ sederant, quia Etta noluerat aquam profundere. Theresa tenebat eum firmê circumplexa, caput suum eius umero imposuit. Cum frater obdormivisset, cervicem osculata curavit, ut idem sub aquam laberetur. Leonhardus altê respiravit. Nulla facta est agonia, quia medicamento luminali sumpto iuvenis privatus erat facultate moderandi. Itaque pulmones eius aquâ sunt completi, ut obiret. Eius caput femoribus Theresae erat interpositum, oculos concluserat, eius capilli oblongi fluctuabant per aquae superficiem. Post duas horas Theresa escendit e pyelo et fratri mortuo imposuit manutergium et mecum telephonavit.

.....

---

<sup>59</sup> \*tomographia \*computatralis orig. *Computertomographie*.

<sup>60</sup> +griseus, -a, -um orig. *grau*.

<sup>61</sup> spûma \*socolâtea orig. *Mousse au Chocolat*.

<sup>62</sup> pyelus, -i m. orig. *Badewanne*.

Eadem confessa est. At verba quae iuvenca fecit, non sôlum erant verba confessionis, eadem per septem ferê horas coram ambobus astyphylacibus<sup>63</sup> consedit dictans totam vitam suam protocollo mandandam. Quae reddidit rationem, relationem suam incohans ab infantî et finiens morte fratris. Quae nihil omisit. Quae nec lacrimavit, nec collapsa est, quae sedit staturâ rectissimâ loquens concinnê et tranquillê et tantâ cum puritate grammaticâ, ut verba eius scriberentur sine ullâ correcturâ. Necessè non fuit eam interrogare. Cum scriba Theresae verba scripta typographo<sup>64</sup> exprimeret, in conclavi iuxta sito sigarella<sup>65</sup> fumavimus. Mulier dixit se non iam posse de re loqui, se nunc omnia dixisse. Theresa »Plura« inquit, »non habeo«.

Scilicet homicidii causâ edictum est mandatum comprehensorium<sup>66</sup>. Omni ferê die Theresam visitavi custodiâ inclusam. Quae iubebat libros sibi mitti et ipsis in horis vacuis in cellâ suâ remanebat. Ea libris legendis dolorem animae sopiebat. Cum inter nos conveniebamus, ea nolebat colloqui de fratre suo. Nec eius intererat aliquid novi accipere de causâ iudicali imminentे. Malebat mihi recitare verba ex libris excerpta, incisa, quae in cellâ suâ quaesiverat. Sic in ipsâ custodiâ publicâ factae sunt horae recitationis. Placuit mihi audire eius vocem calidam, sed illo tempore non intellexi huic mulieri nihil aliud relictum esse, quo explicaret cogitationes suas.

Die 24. m.Dec. apud eam fui usque ad finem temporis visitatorii. Deinde post me clausae sunt ianuae vitro antiballistico<sup>67</sup> instructae. Foris nix cediderat, omnia erant pacifica, erat Natale Domini. Theresa reducta est in cellam, consedit ad mensam parvam, patri scripsit epistulam. Deinde lodicem discidit, ita contorsit, ut fieret restis, qua ex manubrio fenestrae se suspendit.

Die 24. m.Dec. Tackler accepit telephonema<sup>68</sup> actricis publicae<sup>69</sup> munere necessitatis fungentis. Auscultabulo deposito armarium

<sup>63</sup> \*astyphylax, -acis m. theod. *Polizist*.

<sup>64</sup> \*typographum, -ī n. orig. *Drucker (machina)*.

<sup>65</sup> \*sigarellum, -ī n. orig. *Zigarette*. cfr Groß, Vox Latina 1979, p.173.

<sup>66</sup> **mandātum comprehēnsōrium** orig. *Haftbefehl*. cfr Antonius Bartal, Glossarium mediae et infimae Latinitatis Hungaricae , Leipzig 1901, p.153 (a.1786)

<sup>67</sup> **vitrūm \*antiballisticum** orig. *Panzerglas*.

<sup>68</sup> **tēlephonēma**, -atis n. theod. *Telefongespräch*.

aperuit thesaurarium, patris sumpsit revolucrum, fistulam sublabravit<sup>70</sup>, manuclam appressit<sup>71</sup>.



.....

Administratio custodiaria servavit Theresae reculam<sup>72</sup> in conditorio domestico. In praeceptis nostris plenipotentiae, quae spectant ad causam poenalem, scriptum est nobis patronis permitti, ut res accipiamus loco eorum, qui nobis mandaverunt defensionem sui. Aliquando magistratūs iustitiarii nobis miserunt fascem, cui infuerunt Theresae vestimenta librique. Quas res amitae transmisimus Francofurtensi.

At unum ex Theresae libris retinui, quia illa nomen meum inscriperat primae paginae. Qui liber fuit fabula illius *Magni Gatsby* a *Scott Fitzgerald* scripta. Qui per biennium in mensâ meâ scriptoriâ iacuerat intactus, usque dum eundem potui resumere inspiciendum. Theresa autem eos libri locos, quos fuerat recitatura, induxerat lineis caeruleis et in margine delineaverat notulas musicas. Unus tantum locus notatus erat colore rubro; qui fuit sententia libri ultima, et cum eam lego, adhuc audio vocem Theresae:

»Sic remigamus flumini temporis renitentes – et tamen perpetuo repellimur ad praeterita.«<sup>\*)</sup>

<sup>69</sup> **actrix pūblica** orig. *Staatsanwältin*.

<sup>70</sup> **sublabrō**, -āre orig. *in den Mund stecken*.

<sup>71</sup> **manuclam apprimere** orig. *abdrücken*.

<sup>72</sup> **rēcula**, -ae f. theod. *Habe, Habseligkeiten*.

<sup>\*)</sup> Verba Ferdinandi de Schirach: »So regen wir die Ruder und stemmen uns gegen den Strom – und treiben doch stetig zurück, dem Vergangenen zu.« - Verba ipsius Scott Fitzgerald originalia: »So we beat on, boats against the current, borne back ceaselessly into the past.«



**Ferdinand von Schirach (a.2009)**

**Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium**

cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15; 78, p.18-27; 81, p.12-20; 158, p.8-20; 159, 20-28.

Haec narratio criminalis excerpta est ex opere Ferdinandi de Schirach cui titulus est: «Verbrechen» (Scelus):  
Ferdinand von Schirach: VERBRECHEN Stories. Piper Verlag GmbH München, 11.ed. a.2018, p.43-58.

**Narrationem Violoncelli**

**scripsit Ferdinandus de Schirach,**

**in Latinum convertit**

**Leo Latinus**

## COMMERCIO EPISTULARE VACCINATORIUM

**Nicolaus Victorio suo s.**

Summas gratias, care sodalis, pro correcturis verborum Italicorum in lexico originali inventorum. Quae tibi verba in Epistula Leonina 222 de vîro covidiano dicta displicant? Nonne agitur de vaccinatione? Iamne scis, quales et quanti sint effectûs secundarii? Intra biduum post vaccinationem ab ipsâ officinâ Pfizerianâ observata sunt in hominibus probandis:

**- dolores in loco punctionis: 83% - lassatio 59% - dolores capititis 52% - dolores muscularum 37% - sensus frigendi 35% - dolores artuum 22% - febris 16% - diarrhoea 11% - vomitus 2% - intumescentia nodorum lymphaticorum 1%** . ---- Si hos effectûs secundarios comparaveris cum effectibus secundariis, qui observantur in vaccinationibus iam pridem probatis et bene nôtis, miraberis permitti, ut tale vaccinum novum tam dubium et periculosum iam post paucos menses inventionis et fabricationis adhibeatur. Effectûs secundarii sunt iam sat molesti, sed nemo scit, quanta et qualia sint futura damna valetudinis, quae efficiantur isto vaccino, quod est primum vaccinum geneticum. Contractu iam decretum est fabricatores ipsos non soluturos esse pecuniam pro curandis illis hominibus, qui effectibus secundariis et tertiaris varios morbos et detrimenta sunt passuri. Ergo ingenti summâ pecuniae acceptâ nullum nummulum solvent pro damnis vitae et valetudinis, quae contracta erunt vaccino suo. Quid tibi videtur? Recordarisne influentiam porcariam ante 13 ferê annos factam? Industria pharmaceutica ingentem summam lucrata est, sed influentia morbus fuit ridiculus et - aliquot milia hominum morbum narcolepticum contraxerunt (est defectus dormiendi), quo laborabunt usque vitae finem. - Liberê confitere! Suspenso animo exspecto vituperationes tuas, amice. Ne subirascaris mihi. Simus sinceri. Vale pancraticê, mi care Victori, libenter legam sententiam tuam. Medullitus te salutat Nicolaus.

Victorius Nicolao suo salutem.

Minime tibi subirascar, optime Nicolae. Sed te certiorem faciam de hodierna symbola Italice scripta, cui titulus: "Quas ob causas vaccino confidere possimus" (tempus me deficit ut ipsam totam Latine vertam; ceterum tibi lingua Italica ignota haud est):

[https://www.corriere.it/opinioni/21\\_gennaio\\_12/perche-deivaccini-possiamo-fidarci-dece127c-54ff-11eb-89b9-d85a626b049f.shtml?refresh\\_ce](https://www.corriere.it/opinioni/21_gennaio_12/perche-deivaccini-possiamo-fidarci-dece127c-54ff-11eb-89b9-d85a626b049f.shtml?refresh_ce) sive: <https://tinyurl.com/yyl3n4wg>

Demum "de qualcumque re frustra disceptatur si commune deest fundamentum, quod ad eam rem pertineat" (ut ferme scripserat particeps quidam Gregis Latine loquentium). Optime valeas.

\*\*\*\*\*

\*\*

Il giorno Martedì, Gennaio 12, 2021 23:18 CET, SPQR <SPQR@leolatinus.com> ha scritto:

## **LAMBERTUM PIGINUM ANIMAM EFFLAVISSE**

**Axelius Pulchrimontanus sodalibus Colloquiorum Latinorum  
Francofurtensium salutem plurimam dicit!**

Hodie sero accepi mortuum esse amicum et sodalem nostrum dominum Lambertum Pigini Italum, qui nonnumquam colloquis nostris Latinis interesse solebat. Requiescat in pace!

Curate, ut valeatis!  
Axelius Pulchrimontanus

Datum die XIII mensis Ianuarii anno Domini MMXXI.

**Da:** Augusto Andreoli  
**Inviato:** venerdì 8 gennaio 2021 11:34  
**A:** Augusto Andreoli <intersales@elionline.com>  
**Oggetto:** Mr Lamberto Pigini  
**Priorità:** Alta

Dear ELI Friends,

It is with great sadness that I am informing you that don (Mr) Lamberto Pigini suddenly passed away last Wednesday afternoon for natural causes, just a few days away from his 97<sup>th</sup> anniversary.

Should you wish to follow his funeral service – tomorrow morning, 9<sup>th</sup> January at 9.30 Italian time – here is the link:

<https://www.youtube.com/watch?v=2A9htojTL3M>

May his soul rest in peace and may his memory remain deep in our hearts.

Kind regards.

Augusto

***Augusto Andreoli***

International Market

Sales Manager

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē ejectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM**

**DUCENTESIMAM VICESIMAM TERTIAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 17. m.Ian. a.2021**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae